



Brennus eius nominis tertius Germanorum
 & Gallorum princeps, gloriae cupiditate ductus, ingentem exercitum ex magna Germania & Rheni accolis collegit, atque novas sedes quarere proposuit. Eam autem hominum multitudinem rerū scriptores Gallos uocarunt, propterea quod circa Galliae fines congregati, in longissimas terras profecti fuerint. Cum autem eodem tempore Belgius socius in Macedoniam ruisset, ipse Graeciam inuadere statuit. eam etiam regionem ferro & igne populatus, omnibus incolis magnum terrorem incussit. Cum autem intellexisset, quod sui uictoriam in Macedonia memorabilem acquisiuisent, atque nihilominus eam prouinciam, omnium ferè gentium spolijs onustam reliquissent, ira accensus cum cētum quinquaginta millibus peditum, & quindecim millibus equitum Macedoniam ingreditur, proxima quaeque profsternens & conculcans. Itaque Sosthenes rex cum exercitu ei obuiam progressus est. sed à Brenni militibus ingenti praelio uictus sese intra moenia recepit. hac ratione factum, ut tota illa prouincia à Gallis & Germanis deprædata fuerit. Cum uerò hominum spolia quasi sorderent, infausto consilio usus ad res sacras diripiendas animum cōuertit, dictitans, Deos etiam aliquid largiri hominibus oportere. Itaque raptim Delphos exercitum duxit, templum Apollinis spoliaturus. Fuit illud in Parnasi montis parte constitutum, rupibus & scopulis penè undique impendentibus. in eo profundum terrae foramen erat, quod ad oracula patebat, ex quo frigidus spiritus uel quadam in sublime expulsus, efflatus uirgines in furorem uertebat, ut futura prædicerent. Propterea multa hic ueterum & recentiorum regum donaria erant collata, quae Brennus direpturus statuerat. Vbi is templum in conspectu habuit, deliberabundus stetit, immitteret ne militem confestim in prædam, an fessum itinere ad radicem montis nocturna quiete reficeret. Erant quidam qui moram tollendam censebāt, dum hostis imparatus esset, ne nocte interiecta is animū reciperet, & undique auxilia contraheret. Verum Germani & Galli omnium rerum copiam in agris adepti, per agros effunduntur, & procul à signis recedentes pro uictoribus euagantur. Itaque Delphijs occasio data, ut & templum & adiacentem urbem per eam noctem praesidio firmarent.